



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XXXIV. De Purgatione Canonica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

Idem esse, quod confirmatio privilegiorum concessorum vivâ voce non valeat pro foro externo, nisi & ea facta verbotenus authenticetur per dictos Officiales & Ministros, secus est, seu valent tam dicta privilegia, quam confirmatio eorum facta verbotenus, si confirmetur & innoventur per Bullam *ex certa scientia*, cum tunc novam naturam & novum esse acquirant, quia ex vivâ vocis oraculis evadunt privilegia scripta, eorum naturam assumunt, Reiffenst. n. 160. cum Pelliz. *ir.* 8. c. 1. n. 132. Tertio: quod privilegia concessa vivâ vocis oraculo post Urban. VIII. & quidem pro foro interno omnia ac singula, de quibus sufficienter constat esse concessa, etsi de iis testimonium authenticum à supradictis officialibus non habebant, sed alii fide digni Superiores, Generales, Provinciales, Procuratores Generales, aut alii hujusmodi, in quorum præsentia Papæ privilegium verbotenus concessit, de iis testimonium ferunt, eò quod par in parem non habeat imperium, & consequenter constitutiones Gregor. XV. & Urban. VIII. manus Successorum non ligent, nec ad eorum constitutiones novas se extendant, procul dubio hujusmodi subsequentes Successorum concessionem vivâ vocis oraculo factam in foro conscientie valeant, si de iis quocunque testimonio fide digno constet. Reiffenst. *num.* 163. Quarto: Quod, ut talia privilegia vivâ vocis oraculo concessa etiam pro foro externo valeant, non sufficiat testimonium cæteroquin fide dignum de eorum concessione, sed requiratur non tale, quale ad probandum in foro externo aliàs requiritur, & sufficit, quamvis necesse non sit testimonium doctorum Officialium, cum probatio per horum testimonium præscripta ab Urban. VIII. solum se extendat ad probanda oracula præcedentia, non vero ad subsequencia ejusdem constitutionem oracula. Reiffenst. n. 164.

Quest. 462. An & qua privilegia regularium revocata vel non revocata per Concilium Tridentinum?

Resp. Primò: Sicut falsum est per Concilium Tridentinum revocata esse omnia regularibus ante illud concessa privilegia, ita certum est eorum plura ab illo revocata esse. Quod attinet ad primum, constat ad ipsum ex ipso Trid. dum *Sess. 25. de regular. c. 20. ad finem* ait: *in cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, loca & jura concernunt, firma sint & illæsa.* quod confirmatur non universali praxi Ordini

num plurimis eorum libere utentium, uti & pluribus à Summis Pontificibus post Tridentinum confirmatis. Quod attinet alterum, omnia & singula regularium privilegia ante Concilium concessa, quæ adversantur decretis illius contentis *Sess. 25. de regul. revocata* sunt ab eodem Concilio, ac proinde licet non observanda, nisi post Trid. desuper novum impetratum privilegium, prout constat ex verbis Trid. *l. c. c. 22.* præcipientis observari decreta derogatoria, quibus privilegia utique regularium abrogavit, dum dicit: non obstantibus eorum omnium & singulorum privilegiis, sub quibuscunque verborum formulis conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non consuetudinibus vel præscriptionibus immemorabilibus. &c. Idemque proinde est de privilegiis ante Trid. regularibus concessis, quæ adversantur alicui cujuscunque sessionis decreta habenti hanc similem clausulam: *non obstantibus quibuscunque privilegiis.* Reiffenst. *b. r. num.* 138. quamvis etiam privilegia decretis aliarum sessionum, exceptâ *Sessione 25.* non habentibus dictam clausulam derogatoriam; *non obstantibus.* contraria non ceteri derogata ab eodem Concilio doceant probabilissimè Rodriq. *qq. reg. Tom. 1. q. 8. a. 7.* Mirand. *in man. Prelat. Tom. 2. q. 42. a. 3. vers. sed alit.* Suar. *L. 6. de LL. c. 18. in fine* apud Reiffenst. *num.* 139. contra Donat. *Tom. 1. p. 1. tr. 11. q. 15. à num. 4.* Peyerin. *in declar. privileg. Tom. 2. in constit. 1. Gregor. XIII. num. 3.* docentes privilegia adversantia simpliciter cuicunque totius Concilii decreto etiam destituta dictâ clausulâ revocata à Trid. ceteri saltem tacite, siquidem nulla lex, constitutio vel decretum, etsi generaliter vel universaliter latum, derogat particularibus locorum aut personarum statutis, consuetudinibus aut privilegiis, nisi id exprimat, ut Barbof. *in c. 1. de constit. in 6.* cum communi D. D. ergo nec Trid. per Decreta sua generalia id non exprimentia & destituta clausulâ generali derogatoria.

2. Resp. Secundò: Regulares hodie etiam in foro conscientie uti non possunt privilegiis sibi concessis expressè à Trid. revocatis, quia sententia opposita ab Alexand. VII. his terminis expressè: *Regulares uti possunt privilegiis, quæ sunt expressè revocata à Concilio Tridentino, damnata est;* expressè autem ab eo revocata sunt omnia & sola ea privilegia regularium, quæ sunt contraria alicui ex decretis à Trid. *Sess. 25. de regul.*

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

Quest. 463. Quid sit Purgatio Canonica, & qualiter fiat?

Resp. Ad Primum: Purgatio, de qua hic, in genere est ostensio innocentie de objecto crimine, alia est vulgaris, de qua *seq. tit.* alia canonica, quæ est ostensio innocentie criminis alicujus, quod alicui objectum, vel de quo quis graviter infamatus vel suspectus, facta canonicè seu juxta SS. Canonum præscriptum, sumitur ex *can. si mala. 2. q. 5. juncta Gl. v. deficientibus.* & *c. dilectis. h. r. 1. nos inter.* Purgatio quoque canonica fit super macula, defectu aut impedimento obstante v. g. promotioni ad Ordines & beneficia ecclesiastica.

Arg. c. accedens. & Gl. ibid. v. purgatione. & Abb. num. 1.

2. Resp. Ad Secundum primò: Fiebat purgatio canonicè olim variè, nimirum primò per juramentum factum ad sepulchra vel reliquias Sanctorum præsertim, ubi illi magis clarebant miraculis tam à reo quam accusatore præstitum, ut constat ex *can. habet. c. Memm. c. quanto. 2. q. 7.* eò quod harum reliquiarum virtute & meritum Sanctorum illorum intuitu Deus sæpe patefaceret reorum vel diffamatorum innocentiam, & accusatorum vel diffamantium perjurium, ut testantur plures SS. Patres apud Baronium *ad annum Christi 412. à n. 24.* Secundò: per susceptionem Eucharistie vel celebrationem missæ, *arg. can. sepe & can. fin. 2.*

9. 5. eò quòd præsumebatur, neminem concium criminis, de quo accusabatur aut infamabatur, tam fore temerarium, ut auderet in iudicium & condemnationem sui tam horrendum facinus admittete, præsertim dum, ut quandoque fiebat, adhibebantur imprecationes repentini interitus secuturi ex tali temeraria susceptione Corporis & Sanguinis Christi, atque hâc ratione Gregor. VII. Simonæ infimulatus publicè se purgavit coram Henrico III. Imperatore apud eundem instans, ut, si innocentem se crederet de probris sibi objectis, per sumptionem Sanctissimi Sacramenti se purgaret, quod ab eo deterrito exemplo Lotharii & aliorum, malâ fide in sui perniciem id a forum & celeri interitu pereuntium non obtinuit. Wiestn. *h. t. num. 3.* referens se ad Chronicon Sigeberti Anno 870. & Baron. Anno 1077. Terriò: per iudicium criminis, vel per sortes vel tesseras ad S. Crucem jaci, vel in Altari S. Crucis insigni deponi, & post varias preces inde extrahi solitas, vel per nocturnas & diu continuatas ad illam stationes, vel denique & frequentius per juramentum ad S. Crucem, vel per eam eâve contactâ præstitum, ut Wiestn. *l. c.* ex Rainaudo *de calum. S. 3. c. 2. num. 2.* & Greger. *de S. Crucis. 16.*

3. Resp. Ad Secundum secundò: Hujusmodi purgandi modis, fidelium in Deum & Sanctos fiducia deficiente, & ratione in superstitionem degenerante paulatim sublatis, sufficere & hodie dum durans est forma hujus purgationis, nimirum juramentum ab accusato aut infimulato, vel publicè diffamato, aut vehementer suspecto de crimine tactis Evangeliiis præstitum, invocato Deo in testem innocentiae suæ seu de crimine illo, nec per se, nec personam substitutam suo nomine commissio.

Quæst. 464. An, qui & qualiter adhibendi compurgatores in hac purgatione canonica?

1. Resp. Primò: Adhibendæ sunt tres, quinque aut plures, prout qualitas rei vel gravitas criminis exigit, & quorum numerum arbitrio & prudentiæ Judicis permittunt censent Abb. *in c. 1. h. t.* & Decian. *num. 12.* (qui compurgatores vocantur) personæ non solum bonæ æstimationis & fide dignæ, sed & Vicinæ & tales, quibus purgandi vita & mores perspectos esse præsumi possit, ut dicitur *c. cum dilectus, h. t.* & ibi Gl. *v. vicinæ.* & Abb. *n. 1. c. quanto de præsumpt. Felin. in c. litteris. eod. num. 2. c. 5. Menoch. l. 6. de præsumpt. 24. n. 12.* ejusdem Ordinis ac statûs eum purgando, ita ut si is sit Episcopus vel Presbyter, etiam illi tales esse debeant. His verò deficientibus etiam alii inferioris Ordinis Clerici juxta *c. ex tuarum c. in juvenute.* & his quoque deficientibus honesti Laici, etiam feminæ admitti possunt. Gl. *fin. in cit. c.* & Hostiens. *num. 5.* imò si in purgationis loco ignotus Clericus sit purgandus, ibique purgatores idonei nec clerici, nec laici haberi possunt, & legitima probationes deficiant, reus solo proprio juramento purgandus, si aliâ fide dignus censetur, simulque juret, se compurgatores habere non posse. cum Gl. *fin. in c. cum P. & Abb. in c. inter. h. t. n. 7.* Decian. *rr. crim. l. 5. c. 48. n. 26.* Pith. *h. t. n. 28.* Wiestn. *n. 9. Reiffenst. h. t. n. 6.*

2. Resp. Secundò: Horum compurgatorum officium est, ut jurati deponant, se credere purgandum verè jurallè, ac proinde impositi criminis falsò infimulatum; juramentum enim hoc compurgatorum non est veritatis, sed credulitatis. *can. quo-*

vus. 2. q. 5. c. licet de accusat. c. inter. 10. c. fin. h. t. Decian. l. c. num. 4.

Quæst. 465. A quo, quibus & quando indicenda purgatio canonica?

1. Resp. Ad Primum: Purgatio canonica indicere potest à Judice competente, quia aliâs de crimine cognoscere potest & debet, ita ut, si ab alio fiat, sit nulla, & habeat se, ac si facta non fuisset. Arg. *c. nos inter. & c. inter. h. t. c. licet. de off. legat. Gl. fin. in c. penult. juncta Gl. Marg. Lit. G. & ibid. Host. in fin. Pith. h. t. num. 2.* Sic potest Episcopus non tantum Clericum, sed etiam laicum subditum suum compellere ad purgandum se de criminibus spectantibus ad cognitionem Ecclesie, ut sunt hæresis, adulterium & similia, quæ sunt vel merè ecclesiastica, vel mixti fori, vel etiam toti sæcularis, ubi Episcopus jurisdictionem temporalem habet, estque ratio, quòd purgatio nunquam inducatur, nisi in defectum probationum. Unde si ad Episcopum non spectet cognitio delicti, non fient coram eo probationes, & consequenter neque per illum indicenda purgatio canonica de crimine ad illius cognitionem non spectante. Censent tamen alii apud Pith. *num. 3.* posse Episcopum de quolibet crimine purgationem canonicam indicere, eò quòd textus *c. nos inter. h. t.* loquatur generaliter & indistinctè de aliquo crimine. Episcopus autem debeat inquirere in dicecesanorum suorum, etiam laicorum, delicta, eaque punire, juxta *c. 1. de Off. Judic. Ordinar. & consequenter deficiente probatione indicere possit purgationem. Quod ipsum melius distingui ait Pith. l. c. cum Abb. & Host. in cit. c. nos inter. num. 2.* ita ut procedat, si velit Episcopus indicare laico infamato purgationem in ordine ad penitentiam imponendam in foro animæ, secus, si velit eam indicere laico infamato in ordine ad penam temporalem imponendam, in foro judiciali.

2. Resp. Ad Secundum Primò: Non tantum clericis sæcularibus sed etiam Regularibus utriusque sexûs indicenda purgatio canonica, sed publicè infamati fuerint de crimine, vel graviter suspecti, & testes aliâque probationes deficiant, prout constat ex *c. moniales.* Secundò: indicenda non est, nisi personis, quarum famæ & æstimationis integritas Christiano populo est valde necessaria, ut sunt Episcopi & alii Prælati, Prædicatores verbi divini, Sacerdotes aliâque viri alii probi ac fide digni, etiam laici, viles autem ac plebei homines de criminibus, quorum plena probatio aliter haberi nequit, accusati, diffamati, aut graviter suspecti, subjiciendi sunt quæstionibus per torturam, tum quia tales non facillè inveniunt compurgatores, tum propter periculum perjurii. Ita Reiffenst. *h. t. num. 13.* Wiestn. *h. t. num. 7.* cum Farinac. *in prax. crim. q. 94. num. 64.* Terriò: indicenda non est hæc purgatio, nisi per accusationem vel aliter de crimine diffamatis, vel verisimiliter & vehementer suspectis, ita ut fama illorum etiam apud prudentes & probos læsa sit. Innoc. *in c. nos inter. h. t.* Sylv. *v. purgatio, num. 2.* Pith. *h. t. num. 7.* ex ea ratione, quia hæc purgatio inducta ideo præcipuè, ut, casu quo crimen vel innocentia diffamati alio modo probari nequit, detegatur per purgationem, vel ad tollendum scandalum publicum populi, vel ad delendam suspensionem, & infamia convertatur in bonam famam, Arg. *c. inter. h. t.* Unde requiritur, ut infamia ortum habeat à personis honestis, & gravibus & non à malevolis, Host.

in sum. h. t. num. 3. Diaz. in pract. crim. can. c. 151. num. 7. nisi ab iis infamatus ipse pro purgatione instaret, aut scandalum publicum causatum per talem infamiam ab inimicis erram sedari aliter quam per purgationem canonicam, & dilui non posset. Arg. c. inter. h. t. Ad scandalum enim vitandum & tollendum receditur à jure communi. c. 2. de prescrip. c. 2. de novi oper. nunc. De cetero si certè constet infamiam ortam non esse ex probabilibus suspitionibus seu conjecturis, vel ab æmulis, aut ex alia injusta causa ortam esse, non est de illa curandum, nec ideo indicenda purgatio canonica etiam ad instantiam aliorum, nec Judex ex tali infamia procedere potest contra infamatum, Pirh. h. t. num. 11. cum Abb. nisi fortè ob importunitatem petentis indicatur purgatio, ut Idem cum Host.

3. Resp. Ad tertium: indici non debet purgatio, quando crimen est notorium, ita ut celari non possit, prout habetur c. cum dilectus. h. t. quia notoria non egent probatione, imò nec accusatio. ne. Arg. can. de manifest. 2. q. 1. c. ex evidentiâ. de accusat. Sed Judex ad impositionem pœnæ sine alia inquisitione ob solam notorietatem procedere potest. Menoch. de arb. cas. 166. num. 4. Farinac. pax. crim. q. 21. num. 11. neque indicenda, quando infamatus, aut graviter suspectus aliter convinci, & institutâ actione per testes aliòsque legitimos modòs crimen plènè probati, aut innocentia ostendi potest. c. si quis c. quoties. c. ex tuarum. c. inter h. t. cum purgatio sit introducta in subsidium aliarum probationum. Innoc. in c. nos inter. h. t. Sylv. v. purgatio num. 2. Decian. tr. crim. l. 5. c. 48. num. 10. De cetero licet in causis civilibus in defectum plènæ probationis reo, & quandoque etiam actori deferri possit juramentum, l. admonendi. ff. de jurejur. id tamen locum non habet in criminalibus, utpote in quibus, actore plènè non probante, reus est absolvendus. can. fin. §. sanè. 6. q. 5. l. absentes. ff. de penis. ita ut propterea accusator intentionem non nisi lemiplenè probans, si in probationis supplementum petat ad juramentum admitti, non audiatur, teste Claro §. fin. q. 63. num. 1. quin & verisimiliùs id etiam deferre non permittatur, ut Gonzal. in cit. c. fin. num. 9. nihilominus tamen si causa sit dubia, ad infamiam & scandalum tollendum per declarationem innocentie à crimine vel per promeritam hujus pœnam reo deferretur juramentum à Judice (præsertim Ecclesiastico, à quo vindicta sanguinis non exercetur) aurb. sed novo. c. de pœna Jud. qui malè judic. Malc. de prob. concl. 858. num. 39. E contra etiam post actam de delicto pœnitentiam locus est purgationi canonicæ, quia post pœnitentiam de facto remanet adhuc publica infamia, utpote quæ per pœnitentiam non tollitur. c. Euphemium §. hinc colligitur 2. q. 3. idèoque ad hanc tollendam necessaria est purgatio. Pirh. h. t. num. 18. not. 2. cum Gl. in c. fin. h. t. v. commississe. & Abb. ibid. n. 2. not. 3.

Quæst. 466. Qualiter procedendum contra infamatum de crimine, negligentem se purgare canonicè ab infamia?

Resp. Priùs inquisitio fieri debet ab Episcopo contra infamatum de infamia, quam super veritate criminis. c. qualiter. c. cum oporteat. Abb. in c. si quis h. t. num. 1. Pirh. h. t. num. 23. Dein, si accusator adsit, non debet infamato indici purgatio, cum ea sit subsidiaria, nimirum si crimen

aliter probati non possit, cit. c. si quis. h. t. Abb. ibid. num. 1. not. 2. Indictâ purgatione, tamdiu suspendendus ab officio, donec legitimè se purgaverit, Abb. l. c. Pirh. num. 24. non tamen regulariter suspendendus à beneficio, priusquam deficiat in canonicâ purgatione, nisi propter enormitatem criminis aut grave scandalum imminens. Gl. in c. presbyter. 2. q. 5. v. suspendatur. Abb. l. c. not. 2. Porro dum proceditur per viam inquisitionis, & crimen non est plènè probatum, reus non est simpliciter absolvendus, sed potest compelli ad purgandum se, si remaneat publica infamia vel grave scandalum etiam sine infamia, vel vehemens suspicio; nam ob hæc tria indici potest purgatio, ita ut quodlibet eorum sit sufficiens ad eam indicendam. c. inter. h. t. & ibi Host. & Abb. Antequam verò suspendatur ab officio, & ei indicatur purgatio, si quis infamatus de delicto successivo, quia v. g. detinet in domo mulierem suspectam, necessariò præcedere debent admonitiones, in c. 2. h. t. præscriptæ, cum possit se emendare abstinendo ab actibus suspectis &c. si autem delictum est momentaneum, sive transiens, de quo infamatus, v. g. homicidium, furtum, &c. præmittendæ non sunt dictæ monitiones, cum sint frustraneæ, nec fieri debet suspensio ab officio, sed Judex statim infamato indicere potest purgationem, quam si præstet, est absolvendus, si in ea deficiat, condemnandus, & puniendus tanquam convictus, nisi delictum sit enorme vel grave, scandalum in populo imminet, tunc enim potest suspendi ab officio, donec se purgaverit, juxta cit. c. 2. imò & à beneficio, cit. c. inter. h. t. quod si fecerit, sublata suspensione absolvendus est, juxta c. ex tuarum. h. t. aliàs condemnandus, ut dictum, quòd autem juxta c. inter. dicatur, præstitâ purgatione remanere suspensionem ab officio, licet censeant communiter D. D. id speciale esse in crimine hæresis. Abb. tamen in cit. c. inter. num. 3. inquit, id non esse speciale huic delicto, sed remanere suspensionem loquendo universim, quandocunque infamatus malè vivendo per actus illicitos & jure reprobatos, v. g. per nimiam familiaritatem cum hæreticis, qui est casus cit. c. inter. dedit causam infamiae & publici scandali, ut si præcedentes illi actus illiciti: ita Pirh. n. 25. in fine.

Quæst. 467. Quisnam sit effectus purgationis canonicæ tam legitimè, quam perperam factæ, & quæ hujus pœnæ?

1. Resp. Ad primum: hujus purgationis legitime factæ effectus præcipuè sunt tres. Primus; quòd eà perfectâ infamatus sit absolvendus à suspensione ab officio & beneficio, si ea propter criminis objecti vel ex eo ortæ infamiae aut scandali gravitatem ab initio inflicta. c. ex tuarum. & c. licet. h. t. Sylv. v. purgatio. num. 7. Secundus, quòd sine mora sit absolvendus ab ipso crimine objecto, & declarandus innocens, inque statum pristinum restituendus, can. habet. & c. Mennam. 2. q. 5. Tertius; quòd vir boni testimonii declaretur. cit. c. ex tuarum, atque ita redintegretur honor & æstimatio apud homines, præsertim in crimine successivo, sed vitam bonis moribus ornet, ita ut ea suspicio omnis ex hominum proborum & honestorum mentibus deleatur, cit. c. inter. in fin. Sylv. l. c. Farin. pr. crim. q. 194. n. 44. His additur ab aliis quibus quartus effectus, quòd de eodem crimine accusari amplius nequeat, de quo speciatim, q. seq. 2. Resp.

2. Resp. Ad secundum: si in purgatione sibi indicta deficiat infamatus, vel quia jurare noluit, vel quia compurgatores idoneos adhibere neglexit, aut quia nulli fidunt, vel nolunt pro illo facere juramentum credulitatis, eò quòd propter illius malam famam non credant illum verum jurare, multoque magis si in purgatione perjurium commiserit, tanquam de crimine convictus sit puniendus. *cit. c. inter §. fin. c. de hoc. & c. insinuat. de Simon.* eò quòd præsumptio verisimilis delicti orta ex infamia rei, reo in purgatione deficiente, transit in violentiam, vi cujus iudex procedere potest ad sententiam, & infligere pœnam, saltem extraordinariam, & juxta aliquos etiam ordinariam, Menoch. *L. §. presump. 41. n. 3.* Farin. *pr. crim. q. 86. n. 5.* circa quòd postremum notandum ex Diaz. apud Pirh. *h. t. n. 37.* clericum propter defectum in purgatione commissum degradatum, & curiæ sæculari traditum non posse à Iudice sæculari pœnâ ordinariâ criminis, quâ laicus convictus de eo delicto puniretur, puniri, eò quòd clericus non verè, sed solum interpretativè sit convictus de illo crimine, pro quo jure civili non imponitur pœna ordinaria, nisi claris probationibus, vel propria confessione sit convictus, exceptâ hæresi. Pirh. *l. c.*

Quest. 468. An & quando accusatus semel de crimine peractâ desuper legitime purgatione de eodem denuo accusari possit?

Resp. Ordinariè & regulariter id fieri non potest, tum quia quærere de eodem ejusdem ho-

minis delicto est contra textum. *c. licet. ff. nante; caupones &c.* tum quia jusjurandum non minoris auctoritatis est quam res judicata. *L. jusjurandum. ff. de jurejur.* Gl. in *c. Mennam.* Host. in *c. licet. h. t. num. 6.* Dixi: ordinariè loquendo. nam responsio plures patitur limitationes, ac primò quidem id fieri potest, si peractâ purgatione, concurrentibus novis indicis, nova infamia suborta, vel accusator adest. Abb. in *c. ex tuarum. h. t. num. 5.* Item, si quis suam aut suorum injuriam prosequatur. *L. si cui. §. 2. ff. de accusat.* vel ostendat infamatum purgando se pejerasse. *L. admonendi. ff. eod.* aut priorem accusatorem fuisse prævaricatum. *L. prævaricationis. §. 1. de prævaricat.* Goffred. in *L. fin. C. de rebus cred.* Host. in *cit. c. fin. num. 6.* & ita quòd ad has limitationes omnes, Pirh. *h. t. num. 36.* Et hæc de purgatione in canonica dicta sufficiant, eò quòd, etsi in officio inquisitiones adhuc vigere videatur, extra illud tamen multum in consuetudinem abiisse hodièdum notetur, præsertim quòd ad Clericos & Judices ecclesiasticos, etiam ubi ii gravi infamiâ & vehementi suspitione criminum laborant, quòd Judicium illorum tepiditati & negligentia adscribit Pirh. *h. t. num. 39.* vel quia, ut Diaz. in *præf. crim. canon. c. 152. num. 5.* modernis temporibus difficulter inveniantur idonei compurgatores, dum viri probi videntes corruptionem hujus temporis, & statûs clericalis deformationem, nisi bene notam habeant clerici purgandi vitam, nolint subire onus compurgatorum.

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

Quest. 469. Quid sit purgatio vulgaris, & quotuplex fuerit olim in usu?

Resp. Purgatio vulgaris sic dicta, quòd superstitione & moribus vulgi ut plurimum introducta, nullòque jure firmata, pro temporum gentiumque ac rituum varietate varia fuit olim, & præter monomachiam seu singulare certamen duorum, quò de crimine accusatus cum accusatore etsi ætate, viribus, armorumque tractandorum petitiâ inter se dispares, innocentiam tamen præsidio consili congruebat, ita ut in eo victus haberetur pro reo, victor pro innocente. Reinaud. *de calum. f. 3. c. 2. q. 4.* ratio purgandi se ferè triplex fuit, nimirum per ignem, aquam ferventem, & aquam frigidam. Gonz. in *c. fin. h. t. num. 5.* Reinaud. *l. c. num. 5.* per ignem quidem, dum criminis insimulatus vel aliàs de eo suspectus rogum subibat, vel prunas aut vomerem aliudve ferrum ignitum & candens manibus contrectabat, vel pedibus calcabat, indeque læsus pro convicto habebatur. Per aquam ferventem seu bullientem, in quam accusatus vel infamatus immitens brachium, si omnino illæsum extrahebat, habebatur innocens, præsertim ubi adhiberentur exorcismi & orationes. Gonz. *l. c. num. 6.* per aquam frigidam certo ritu consecratam, in quam purgandus manu dextrâ ad pedem sinistrum, & pede sinistro ad dextram alligato immisus, si mergeretur, insons, si supernataret reus credebatur & declarabatur, qui modus potissimum adhibebatur sagis, & hodièdum quandoque adhibetur à Judicibus aliqui-

bus illicitè sagis ad illam probam provocantibus. Præter quos modos purgandi se fuit quoque olim usitatus frequenter per celebrationem missæ & summationem Eucharistiæ, de quo Concilium Wormatiense relatum in *c. sepe. 2. q. 3.* ubi statuitur, ut, si fiant furta in monasterio, & ea committentes ignorentur, missa ab Abbate celebretur, vel ab alio ejus jussu, quâ finita, omnes Fratres communicent dicentes: *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.*

Quest. 470. An istiusmodi modi se purgandi à crimine sint aut fuerint liciti?

Resp. Primò in genere: tamen si olim fuerint, qui illos honestos, & Christianis valde congruentes pronunciant & propugnant, hodièdum tamen cum D. Th. 2. 2. q. 95. a. 8. ad 3. Suar. *de irreligios. c. 3. num. 8.* Less. *L. 2. de f. & f. c. 45. num. 3.* passim tanquam illiciti rejiciuntur à Theologis & Canonistis alicujus nominis, & ab ipsis S. S. Canonibus tanquam superstitiosi, præsumptuosi, quin & à vulgo instinctu diaboli inventi & induci reprobantur. *c. Mennam. §. fin. c. consulisti. 2. q. 5. c. sententiam. ne clerici vel monach. c. ex tuarum. de purg. can. & c. fin. h. t.* cum, præterquam gentilitalis ritus redoleant, tentationem Dei continere videantur, dum ad ejus extraordinariam providentiam & miraculum per eos temerè recurritur: unde & sæpe in iis innocentes succumbunt & puniuntur, & nocentes casu, fraude vel occultâ dæmonis cooperatione innocentes declarantur. *c. 2. h. t.* Host. in *Sum. h. t. num. 1. & 2.* Gonz. *c. fin.*